

de poenis infingendis loquitur, nullum præceptum verbis expressis imponere, quo tamen vñs s. 10. circa Constitutionis publicationem cum Ecclesiæ Prælati loquens. Licet autem addat: & quantum in se est firmiter obseruari procul, id non virget pro necessaria inflictione poenarum, pro qua DD. Inquisitoribus nullum præceptum imponit, neque Episcopis ipsiis vt Ordinariis Inquisitoribus: sed illud tantum exoptans vt Constitutionem vim habeat, poenas, cùm conueniens videbitur, infligendo, aut eas, cùm opportunum fuerit, temperando. Dici enim verissimè potest Constitutionem hoc modo à Tribunalibus sacris, firmiter, quod votum Piissimi Pontificis, obseruari. Neque merum rigorē tenendum temper oportet Pontificia benignitas, etiam cùm irata fuerit, misericordia, Diuinæ instar recordata.

D V B I V M VI.

Quæ occurunt in casu nostro, an sint sufficientia pro Constitutionis paenitatem temperandis.

225 **D**ico primò. Reorum nobilitas in rigore loquendo non videtur attendenda, etiam nota illa, & equestri Ordinum Crucibus decorata. Hoc videtur ex Constitutionis tenore perspicuum, in qua Pontifex §. 2. Ciuitates integras, & populos, Comites, Marchiones, Duces, & potiori titulo illustres incoluit. Et quod ad excommunicationem attinet, id nequit dubitari. Quod & tradit Carea Parte 2. Tit. 7. §. 89. generaliter locutus de criminibus ad S. Inquisitionis Tribunal spectantibus. Et licet dicat non imponendam poenam, que infamiam irrogat: addit tamen earum loco alias subrogandas, castigandas tamen tradit Parte 3. Tit. 13. numer. 60. loco triremium.

226 **D**ico secundò. Probabile est nobilitatem temperacioni poenarum cauillam aliquam præbere. Id probo. Nam Scriptores, de hoc loco, discrimen statuunt inter nobiles, & ordinum inferiorum, sicut cùm de blasphemis agunt, & de contrahentibus binas nuptias. Pro quo Salcedus in *Additionibus ad Bernardum Diaz*. Cap. 8. Lit. B. & Cap. 110. Lit. A. Sousa in *Aphorismis* Lib. 1. Cap. 19. num. 20. & Cap. 35. num. 20. & generalius Lib. 3. Cap. 36. num. 7. vbi de poenis arbitriis, & alij apud Dianam Parte 4. Tract. 7. Resolut. 21. §. 2.

227 **D**ico tertiod. Quid vñs ex duobus prædictis Pratoribus Familiaris esset S. Officij, non videtur illum releuare, sed potius exceptum aggrauare. Id clarum: quia tenebatur strictiori valde vinculo, & ratione præstiti iuramenti, pro S. Tribunalis stare. Nihilominus considerationis esse aliqualis potest, vt non in odium illius operatus sit, cuius se cruce voluit & prætendit honorari.

228 **D**ico quartò. Quid eruptus esset è gremio Urbani Capituli, cuius Alcaldij sunt Capita. rationem pro temperamento exhet aliqualem. Nam sicut iniuria vñi de confortio facta, tori videtur facta confortio, vt ex Sesse & Bartholo tradit D. Fermosinus in Cap. *Si quis contra de foro*

competenti. *Ques.* 16. num. 4. ita molestia vni ex confortio illata, omnibus videtur inferri: unde secundum naturalem inclinationem est ad illam depellendam prouocari. Currit ergo suo modo hic quod de stricta amicitia & cognitione Doctores tradunt, vt vidimus num. 220.

229 **D**ico quintò. Conducere etiam potuit ad moderationem poenarum ampla & honorabilis parentela, quæ Tribunali Sancto nimis maneret infensa, & ratione illius quamplures alij, quibus cum tituli amicitia aut dependentia intercedunt, vnde & tota fere res publica, vnde & illud potest odiosum reddi, quod minime est conueniens: licet enim expediens sit vt timeatur, sed non esse Fidelibus exosum. Et ita DD. Inquisitores vii communes parentes student se omnibus amabiles exhibere. De quo in *Titulo* num. 28.

230 **D**ico sextò. Quod rei capturam iniustam censuerunt, non videtur facinus minorare. Id ostenditur. Nam sic operantes grauem iniuriam S. Tribunalis constat irrogasse, iudicantes illud ex priuatis affectibus procedere, & non iustitia terminis in re adeo graui & notabili, strepitue plena seruat. Cum pro iudice stare debet semper presumptio, vt est apud Doctores obviu: quod specialiter in iudicibus Tribunalis sancti procedit, qui maximâ cum maturitate & consultatione se gerunt, vt expendit D. Fermosinus *Allegat. citat.* num. 78. de quorum etiam probitate & aequitate testantur Autores apud eundem in Cap. *Si quis contra Ques.* 16. num. 16. Nihilominus ex hoc capite sumi argumentum potest vt eretio non fuerit ex odio Tribunalis facta, & ita circa poenas Constitutionis non esse rigide indicandum, quidquid de aliis sit aggravantium aliunde.

231 **D**ico septimo. Quia in hoc casu non nullæ sunt incidentia repertæ, ex quibus apud vulgus bonum Tribunalis nomen aliquatenus videbatur infusari ad fabellas facile, & ad peiora credenda promptissimum; merito potuit temperamentum poenarum nostræ Constitutionis assumi. Hac enim de causa rei aliquando de hæresi etiam crimen, ab ordinariâ poenâ immunes euerunt, quia scilicet Inquisitor impunitatem relapso confitenti pollicitus fuerat; ne scilicet bonum Tribunalis sancti nomen alias traduceretur, dum in eo promissorum fides iniuriantur non extaret. Pro quo D. Cantera in *Question. Crimin. Cap. 1. de vera confessione* n. 9. ex quo Diana Parte 4. Tract. 8. Resolut. 22. apud quem etiam Flamminius Cartharius bene obseruat DD. Inquisitores maiorem alias iudicibus potestatem habere ad poenas aut temperandas, aut remittendas, & propter vitanda scandalia etiam in calu hæresi Farinacius de hæresi *Ques.* 186. num. 149.

232 **D**ico ultimò. Quia in casu dicto capitulii non est penitus a potestate S. Tribunalis eruptus, sed eidem restitutus, poenæ portuerunt merito temperari. Constat ex dictis Dub. 3. Artic. 2. & vt singula ex dictis causis sufficienes non sint, earum cumulus iure optimo potuit sufficiens reputari: *Singula enim qua non profunt, simul collecta inuant.*

D V B I V M

D U B I U M VII.

An potuerint prefati rei sine citatione excommunicati, informatione statim sumpta, declarari.

233 **R**atio dubitandi est, quia in excommunicatione à Iure ante denuntiationem debet declaratoria commissi criminis sententia præcedere, & consequenter citatio, vnde & appellatio à denuntiatione interponi, vt ex Cap. *Peruenit.* 1. & Cap. *Consuluit,* de *appellation.* Doctores colligunt: pro quo videri potest Marius Alterius de *Censuris.* Libr. 3. *Disput.* 3. Cap. 4. Vers. *Quinque* casus. Diana *infra.* Leander Parte 4. *Tract.* 1. *Disput.* 7. *Ques.* 8. P. Suarez *Tomo* 5. in 3. p. *Disput.* 3. *Sect.* 15. numer. 20. P. Fillius *Tractat.* 11. num. 118. & obuij alij, quibuscum ex recentissimis D. Fermosinus *Allegat. citat.* n. 70. 71. & 72. vbi multos adducit.

234 **N**ihilominus Dico DD. Inquisitores legitimè processisse. Ratio est: quia quando factum est notorium & penitus inexcusabile, non est sententia declaratoria necessaria: nisi quia in denuntiatione ipsa continetur; quia neque appellatio locus esse potest, per quam denuntiatione impeditatur, vt ex citatis Capitibus habetur, & tenent citati, apud quos Nauarrus, Coitarruas, & alij: pro quo & Fermosinus plures congerit. Licet enim in casu nostro non omnes loquuntur, iuvant tamen quatenus, vbi causa notoria est, admittendam non esse appellacionem affirmant: vnde & superflua ad denuntiationem videtur citatio, quandoquidem nihil, ea facta, responderi potest, per quod denuntiatione impeditatur: præsertim ad accelerandam illam urgente ratione. In terminis autem castis nostri loquuntur Couarruas in Cap. *Alma mater,* Parte 1. §. 9. num. 6. *Ver.* Et hoc quidem. P. Suarez *supra.* *Sect.* 10. num. 18. Leander *Ques.* 11. citans Nauarrum, Sylvestrum, & Alterium, qui tantum de Canonica monitione ad excommunicationem latam à iure incurretam minime necessari locuti, & non in casu nostro. Pro quo est *Textus* in Cap. *Cum sit Romana* 1. de *appellant.* §. *Præterea* ibi: *Nihilpoter manifestus raptor vel fornicator existat:* sicut ille, quem absentem, & irrequisitum Apostolus excommunicavit. Sic Alexander III. citans locum ex 2. *Corinth.* 3.videtur etiam Diana Parte 5. *Tract.* 9. *Resolut.* 18. & Bassus verb. *Excommunicatione* 2. num. 15. nonnullus allegans. Pro quo & praxis suffragatur: quando, vt dixi, pro acceleratione ratio est urgens. *Intridam enim nec locis, nec tempus patitur plenus deliberare consilium.* Lit. 1. *Responso* 1. D. de exerci. act. Iuxta Itac ergo non est quod in facto DD. Inquisitorum possit condemnari. Statim in iudicij communis sententia, de qua Bofius Parte 1. *Titul.* 1. numer. 129. quod in delictis non admittentibus excusationem non est necessaria citatio, etiam ad sententiam.

235 **O**biectum à quibuldam informatiōnem præproperē factam; & solis ministrorum, qui ad capturam missi, testimonis: quos non esse legitos tenent aliqui apud Careham Parte 1. *Titul.* 1. §. 68. Sed certè quod ad festinationem *Thesauri Indici Tom. II.*

nem attrinet, ea fuit pro casus contingentia necessaria: & cum nihil defuerit ex substantialibus, nequit ea de causa notari, iuxta nuper dicta. Ministros autem esse testes legitimos, quando homines viles non sunt, tenet cum alius ciratus Carea §. 69. In nostro autem casu non fuere viles, quales esse birrarij solent, sed homines honorati, quorum testimoniū ex nullo possit titulō villes tenus infirmari. Et quod ad festinationem spectat roborandum viterius vt maximè Iuri conforme ex Cap. *Constitutionem*, de sent. excomm. in 6. vbi cum pro excommunicatione tria motio cum competenter aliquorum dierum interuersis ut necessaria statuatur, sic tandem cluditur: *Nisi facti necessitas alter casus fieri moderanda.* Videatur P. Suarez *supra.* *Disput.* 2. *Sect.* 9. num. 4. & *Glossa* V. *Necessitas exemplum apponens, ut quia partes sunt ad rixam & arma parare, nec curant monitiones Episcopi.* Iuxta L. *Equisimum.* D. de usu.

235 **D** U B I U M VIII.

Quomodo absolutio committi potuerit Qualificatoribus, cum excommunicatione sit Pontifici reservata, quod probatur.

236 **N**on esse reseruatum ab solutionem praefatæ Bullæ, tenent aliqui, quos adducunt Carea Parte 2. *Titul.* 13. §. 103. & Lopus in editum Lib. 24. Parte 4. *Dub.* 2. artic. 1. Cuius contrarium tenent Carena ipse *ibidem*, & alij, quos citat. Lopus etiam, licet viramque sententiam dicat esse probabilem, & pro temporum ac locorum opportunitate posse inveniā, nunc aliam prudenter cuiquam deferire: in id tamen magis inclinat, vt reseruata sit: ita enim melius esse intacta iura seruari, quam post vulnerata causam remedium querere. L. finali. C. in quibus causis in integr. restitut. & melius item patua agere: caute quācum multa periculosè. *Nouella* 44. *de Tabellionib.* & messem per alienam transiuntem, in eam falceam mittere non debere. 6. *ques.* 3. *Scriptum.* Multa præterea per patientiam, seu pro bono pacis tolerari, quae deducta in iudicium, exigente iustitia, non debent tolerari. Cap. *Cum iam* de *Præbend.* & dignitat. Itidem multa ratione in certitudinis permitti, quæ alias non concederentur. L. 1. C. de *pact.* & L. *Si ea.* C. de *visus.*

237 **M**ichi certum videtur esse reseruatum. Tum quia alias non videretur malo, quod intendit Pontifex potenter auferere, sufficienter occurrere. Sciebat pro eo Constitutiones Pontificias fuisse præmissas, in quibus excommunicatione est Sedi Apostolica referata, vt vidimus Dub. 1. de *Constitutione Iulij III.* & alias citauimus tum in Iure contentas, tum Extravagantes, de quibus Pegna: Cum ergo validioribus conetur armis occurgere, anathema, quod fulminat, reseruatum voluisse non videtur posse dubitari.

238 **D**einde §. 9. eiusdem Constitutionis ita videtur aperte declaratum, sic enim ibi: *Ceterum eam omium, & quacumque abolutionem rationem à predictis criminibus recens habitationem*

restitutionem, etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendum optamus, ut successores nostri nullas, nisi saltem Semestri post tuuicunque assumptionem ad huiusmodi dignitatis facilius excurso, ac presibus apud Supremum Officium Inquisitionis hic institutum veritatis, concedant. Sic ille: qui verbis illis prioribus, Quarumcumque absolutionum, non obsecutè indicat absolutionem excommunicationis à se posse ad Sedem Apostolicam pertinere: apud quam & difficilè fore desiderat, vt ex eo atrocis huius criminis malitia appareat, & homines ab eo patrando sic possint deterri. Vnde Carena *suprà*, admonet, ne quis audeat sic innodatum absoluere, quod equidem DD. Inquisidores agere ferent. Ex quo & argui potest: quia praxis S. Tribunalis hanc partem amplectitur, immò & Pontifices, qui, vt demus ex vi Constitutionis reformationem non haberis, eam possunt, sicut verbis, ita & facto stabilire. Quo supposito subintrat difficultas, quomodo scilicet possit absolutio ab inferioribus Tribunalibus per se, aut per alios impartiri. Pro quo

239 Dico primò. Licet absolutio reseruata sit, potest tamen à DD. Inquisitoribus vti à Delegatis Sedis Apostolicae concedi. Constat ex vsu & praxi ipsorum Tribunalium, sciente, & iubente quandoquidem Supremo Consilio, vt in casu Prætoris Vallisoletani, de quo D. Fermo-sinus Allegat. citat. & præterea, quia omnium maximè referuatum crimen est heres, & tamen ab illa absoluere DD. Inquisidores possunt in utroque foro, si Sacerdotes sint, id quod de fautoribus manifestius, & de quo Lopus *suprà*, Libr. 14. Parte 2. Diff. 3. art. 1. Diff. 8. & magis in terminis Diff. 2. cit. art. 4. in fine.

240 Neque contrarium ex verbis Pontificis allatis ex §. 9. colligi potest. Ibi enim recurrens ad Sedem Apostolicam non supponitur à Tribunali S. Inquisitionis iudicatus, sed eius rigorem fugiens, ad benignitatem Pontificiam prouocare. Quòd autem habitatio & restitutio petatur, non id est quia per sententiam sint illi fama & honores ablati, sed quia ex vi Constitutionis id habetur, iuxta dicta num. 223.

241 Dico secundò. Dum causa agitur apud S. Tribunal, possunt absolvi rei ad effectum comparendi, & illa conclusa, iterum. Sic factum in ea, de qua loquimur, pro quo iuuat mandatum hic speciale proponere sic le habens: *En la Ciudad de los Reyes, an 28. de Marzo, de 1661.* estando el Señor Inquisidor Doctor Don Christoval de Castilla y Zamora en su Audiencia de la mañana, auiendo visto la petición de Don Sebastian Nauarrete, y Don Alonso de la Cueva, Alcaldes Ordinarios, y la respuesta del licenciado Don Pedro Aluarez de Faria, que hace oficio de Fiscal en esta causa. Mando que los dichos Alcaldes Ordinarios sean absueltos ad effectum comparendi, y cometido la absolución de Don Alonso de la Cueva al Padre Calificador Diego de Ayendano Provincial de la Compañía de IHS, y la de Don Sebastian Nauarrete al Padre Calificador Maestro Fray Martin Melendez Provincial de la Orden de Santo Domingo, y que siendo absueltos, queden presos en sus casas con dos guardias cada uno, que lleven de salario a cuatro pesos corrientes cada guarda en cada un dia, y que no salgan de las dichas sus casas en sus pies, ni ajenos, pena de excomunión maior ipso facto incurrienda sine Canonica monitione

præmissa, quedando desde luego citados para la tribilla, y de docentes pesos ensayados cada uno para gastos de Estrados, y que en la prosecución de sus causas hable cada uno por su escrito aparte con su Abogado, que se a de aprobar segun estilo de este Santo Oficio, y que se les notifique este auto, &c.

242 Licet autem ad effectum comparendi absolutio data fuerit, alias profecto immediatus finis fuit, quod scilicet Equites prædicti instanti Maiori hebdomadæ præceptum possent Confessionis, & Paschalis communionis pariter admplere. Neque ita limitata absolutio præter effetus dictos, vt non possent cum aliis conuersari. Sic enim intelligendum cùm absolutio hoc modo confertur, vt licet finis comparatio sit, absolutus tamen omnino sit vinculo illo solitus, ita vt non sit dimidiata, vt agere cum his possit, non cum illis: id enim habetur consequenter: quia sicut excommunicatione unum est & indivisibile vinculum, ita & absolutio indivisibiliter circa illam feratur. Licet enim absolutio sententia humana sit à positivo iure introducta, & ita eius effectus à voluntate pendeat absoluientis, vt bene expendit P. Suarez Tomo 5. in 3. p. Diff. 7. Sect. 8. num. 8. id tamen non est sufficiens vt dicamus posse tolli per partes, dum ab ipso Canonico iure aliud dispositum non inuenitur. Est enim introducta cum proportione ad excommunicationem, quæ indivisibile vinculum est ex Ecclesiæ institutione.

243 Ex hoc autem videretur difficultas reddi secunda Assertionis pars, quod scilicet post conclusionem causæ possint rei plenarie absolvi. Non videretur enim à quo vinculo absoluvi debent; quia absolutio non fuit data ad reincidentiam, & aliunde non est nouum crimen, propter quod noua possit imponi censura. Ad quod dici potest difficultatem hanc non esse in casu nostro speciale, sic enim frequenter accidit, cùm excommunicantur iudices, quibus quando causa non vrget, absolutio impendit iuxta diem numerum per leges designatum. Et rursum causæ conclusa, etiamsi dies assignati non sunt elapsi. Dicendum ergo vel absolutiōnem huiusmodi esse ad reincidentiam, & sic conclusa causa posse absolutiōnem impendi. Licet enim reincidentia verbo id non indicatur, satis id tenor decreti manifestat. Nam cùm datum absolutio ad effectum comparendi (sicut iudici ad effectum administrandi iustitiam pro tali tempore) limitata profecto est; alia, non ad effectum comparendi, sed planè & plenè daretur, quod tamen non erat conueniens durante causæ cognitione. Redit autem excommunicatione non ex vi sententia inferiorum iudicium, sed Pontificij Canonis: quia absolutio ita data est; vt sententia Pontificis minimè derogaretur, sed vim suam post tempus aut effectum designatum retineret. Sicut accidit cùm excommunicatus à iure absolvitur vt testificatur, quia non est alius, per quem possit id, de quo agitur, comprobari. Iuxta Cap. Veniens 2. de testib. & attestat. aut in articulo mortis, cum obligatione comparendi, vt bene explicat P. Gaspar Hurtadus *disput. 14. de excom. num. 13. & 14.*

244 Vel dicendum potius cum P. Suario *suprà* num. 21. talenm absolutiōnem non esse ad

Circa Titulum XX. De impedientibus. O. S. I.

51

re incidentiam, sed excommunicationem moraliter perseuerare ad instar sententia, cuius tamen est ad tempus impeditus effectus. Quod ergo diximus de sublata excommunicatione pro eo tempore, est quidem verissimum, quia sic absolu-tus reuera non est impeditus in ordine ad omnem effectum, qui per Censuram poterat impedi-ri. Vnde in rigore, & quasi physice sunt dif-ferentia, vt loquitur P. Hurtadus num. 13. Cum quo stat moralis quædam persistencia excommuni-cationis, eò quod non sit penitus ablata, quæ est statim reditura: quo pacto dicitur perseuerare Interdictum, quod Festis quibusdam occurrentibus relaxatur. Pro quo & Diana Parte 5. Tract. 9. Resolut. 15. §. Dices maiorem. Facit autem pro eo quod diximus de ablata verè Censura id, quod ibidem ait P. Suarez. Quærens enim aut redeat excommunicatione eadem vel diuersa, responderem esse prout momentum, moraliter autem eamdem reputari. Diuersa ergo reuera est, licet aliqualiter eadem secundum communem loquendi modum, & concipiendi pariter. Quod & in Censura Canonis dicendum, virtute cuius potest alia distincta succedere, licet moraliter eadem.

245 Dici etiam tandem potest absolutiōnem conclusa causæ tantum esse in foro exteriori ad plenè satisfaciendum Ecclesiæ, quæ semper absoluī iam probatos reos, quamvis interdum contingat quoad forum Dei tales non esse. Ex traditis à Lupo Lib. 7. Diff. 1. Artic. 1. Difficult. 4. & Diff. 3. Artic. 3. Difficult. 2. sic absolutus in articulo mortis à Confessario absolutus post mortem in foro exteriori, de quo citatus. Lib. 10. Diff. 9. Artic. 1. Difficult. 3. Quod eveniet etiam si quis ex vi priuilegiū fuerit in foro animæ, quod in nostro casu accidere potest, si virtute Bullæ Cruciatæ aut Jubilei fiat, iuxta sententiam multorum apud Dianam Parte 1. Tractat. 11. Resolut. 29. P. Escobar Tomo 1. Problematum Lib. 7. num. 576. P. Quintanad. de causib. Jubilei Anni sancti, & similib. Cap. 23. num. 11. & P. Mendum in Bullam Cruciatæ Disput. 25. numer. 57. & quod ad Indias spectat ex dictis Titulo 12. num. 300. Haeresis enim nomine non comprehenditur fautoria, receptatio, defensio hereticorum, & ita neque impeditio. Id quod est verius quando relpe-etu hereticorum non est, pro quo & Lopus. Quomodo autem in casu contingentia procedendum, dictabit prudenter, quæ vtinam talis, qualem res ista videtur postulare.

D V B I V M. IX.

An in casu nostro, captus ob resistentiam, in pœnas impedientium incidenter.

246 Ita quidem videretur, quia per resisten-tiam exercitium S. Officii dubio procul impeditur. Incidunt etiam Ministri in periculum, à quo Pófifex eos expertes vult, vt ex proce-mio constat, ibi Periculum omnium expertis. Cùm sit insuper perterrefactio prohibita, sicut actiones aliae, vt ex §. 2. ibi: Quamvis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisque Ministris predicti S. Officii occidit, verberauerit, deiecerit, seu perterreficerit, & quidem perterrefactis solis ver-

bis facta, ad incurriendas pœnas est sufficiens, vt cum aliis tradit Lupus Lib. 24. Diff. 1. Difficult. 2. & ex Zanardo Diana Tract. 7. citat. Resolut. 13. §. Non definam. Igitur multo potius quæ nou tantum verbis, sed manu patratur armata facta enim sunt verbis potiora L. Pupillo §. Meminisse. D. de operis noui nuntiat.

247 Dico primò. Resistens non incurrit impedientium pœnas. Sicvidetur praxis S. Tri-bunalis amplecti & fundamentum esse potest, quia in Pontificiis Decretis non est sermo de il-lis, & præsertim in Constitutione nostrâ, non obitantibus adductis ex ipsâ, quæ ad impedien-tes pro exercitio erga alios, non erga se ipsos re-furerunt; vnde omnes quæ enumerantur actio-nes tales sunt. Quod autem de periculo dictum, non virget, quia capiendus est aliquis, ita est disponenda Ministrorum potestas, vt nihil possit à capturâ timeri: cùm tamen ab aliis non ita possit totalis securitas præueniri. Quæ autem de perterrefactione dicuntur, iis adnectenda, quæ in §. sequenti succedunt: *Quiae Ecclesiæ, & item quæ in subsequenti: Quiae carcerem vbi perspicuum est de tertio impediente agi, vnde & priora pariter accipienda, cùm sub eodem tenore pro-ferantur.*

248 Ratio autem horum est obvia, quia in resistente ob defensionem propriam, non est contemptus aut odij S. Tribunalis suspicio, licet cum illius iniuria coniuncta sit. Impedientes in-super fautores sunt, vt diximus num. 204. nemo autem respectu sui ipsius fautor dicitur; quamvis ob temeritatem defensionis pœnis arbitraris subiaceat, sicut in omnibus tribunalibus accidit: semper enim resistentia speciali est digna suppli-cio, præsertim si qualificata sit, vnde ob illam forum S. Inquisitionis amittitur, iuxta generalem Hispaniæ Concordiam, de quo dictum hoc Ti-tulo numer. 154. & qualificata esse cùm verba contumeliosa dicantur, aut alapa interuenit, vel quid aliud impudentis, iudicis arbitrio, ex-plicat Narbona Glossa 14. num. 115.

249 Et quia de verbis dictum (vt hoc inter-rit adiiciamus) licet illa ad pœnas incurriendas sufficiere, cùm perterrefactoria sunt, Doctores tradant, quos vidimus; sunt tamen qui in terminis Constitutionis nostræ illa non esse sufficien-tia contendant. Sic enim tener Carena Parte 2. Tit. 13. §. 15. quem sequitur Lupus Diff. 2. cit. Artic. 2. Difficult. 2. Quorum ratio est, qui perterrefactio incusione timoris factis contingente propriè significat. Et item quoniam Pófifex verba non expressit; cùm tamen vbi comprehensa volunt, exprimere soleant. Vt in Canone 13. Bullæ Cæne, vbi perterrefactio commina-tio, & concussioni comparatur: & cùm dis-positio sit penalitatis, strictè est interpretanda. Verum in terminis eiusdem Constitutionis loquen-tes contrarium tenent adducti; & Lupus ipse scribens: *Vel offensio fit immediata, aut mediata, quæ sit etiam verbis iniuriosis, vel signis, perterrefac-tendo. Patet ex Constitutione si de protegendis: ad veritatem enim disputationis sufficiat alteram partem verificari. I. Si ita quis. D. de verbis. obli-gat. Sic ille. Ut mirum sit breui adeò interuallo sui oblitem contrarium tenuisse.* Et certè non videtur quomodo id ne-

ooo 4 gari